GERNHARD (R. W.) De Thoma
Sydenhamo. 1843.

DE

THOMA SYDENHAMO.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-HISTORICA

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

AUGUSTO ET POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO FRIDERICO

MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN LITERARUM UNIVERSITATE IENENSI

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

IURIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE OBTINENDIS

DIE XXI. M. DECEMBRIS A. MDCCCXLIII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ROBERTUS WILIBALD GERNHARD

VIMARIENSIS.

IENAE

TYPIS SCHREIBERI.

PATRI OPTIMO

AUGUSTO GOTTHILF GERNHARD

PHILOS. D. LL. AA. MAG. MAGNIDUC. SAX. CONSISTORIO A CONSILIIS

GYMNASII VIMARIENSIS DIRECTORI SOCIETATIS LATINAE IENENSIS ET HISTOR.

THEOLOG. LIPS. SODALI

HUNC LIBELLUM ACADEMICUM

GRATISSIMI ANIMI ET SUMMAE PIETATIS

DOCUMENTUM

ESSE VOLUIT

AUCTOR

EPISTOLA DEDICATORIA.

Duo omnino sunt, pater carissime, de quibus Tecum agendum est, primum ut causas exponam, quibus impulsus Sydenhamum in dissertatione inaugurali tractandum mihi proposuerim, alterum, quam ob rem eandem Tuo nomini dicandam censeam. Primum quod attinet, brevi abhinc tempore cum historiam medicinae cognoscere studerem, in medicum incidi, qui tantum adeptus est honorem, ut BRITANNICUS appellatus esset HIPPOCRATES: SYDENHAMUM dico, permagnum illum medicum. Ego vero, dubius adhuc animi, de quo dissertationem inauguralem scriberem, sic Sydenhamum admiratus eoque delectatus sum, ut cupiditate flagrarem, eum propius cognoscendi atque fortasse dissertationem de eo scribendi. Quo animo statim Sydenhamum arripui ipsum, et profecto haud exiguam percepi voluptatem ex egregiis ejus opusculis legendis. Quo magis tamen crevit admiratio, qua affectus sum, eo clarius perspexi, inceptum meum de tanto ingenio judicandi vanum esse atque inane. Tamen erexit me vir doctissimus et maxime ingenuus D. HÆSER nota sua humanitate atque benevolentia: cujus hortatu atque auctoritate permotus, nescio quo fato meo, ad propositum peragendum enisus sum. Quum vero D. JAHNI, viri sagacissimi et doctissimi, librum de Sydenhamo scriptum in manum accepissem, animo fere concidi. Mihi enim egregium opusculum legenti difficile visum est atque anceps, tanta auctoritate praeeunte, judicium, quod mihi de Sydenhamo statueram ipse, aperte dicere. Tamen summa tunc dissertationis parte jam conscripta, spes sola me tenuit, fore ut hae primitiae, quas in lucem editurus essem, cum clementia atque indulgentia judicarentur. Lectori vero benevolo Sydenhamum solum me secutum esse confirmo, itaque perpaucos tantum libros commemorare possum, quibus in opusculo scribendo usus sum. Haec sunt:

Thomae Sydenhami opera universa medica edit. *C. Gottl. Kühn*, Lipsiae Voss. 1827. — Hanc editionem festivam, quae simul Sydenhami vitam continet, ego secutus sum.

Ferdinand Jahn, *Sydenham*, *ein Beitrag zur wissenschaftlichen Medicin*, Eisenach Bärecke 1840.

Heinrich Spiess, *Recension über Jahn's Sydenham*, in: *Heinrich Haeser's Archiv für die gesammte Medicin*, zweiter Band, Jena Mauke 1842, pag. 345—366.

Ludwig Hermann Friedlaender, *Vorlesungen über die Geschichte der Heilkunde*, Leipz. Voss 1839.

Haller, *Bibliotheca medicinae practicae*, Bern. et Basil. 1779. (Tom. III lib. X. pag. 188.)

Memoires pour servir à l'histoire des hommes illustres. Tom. XVI, à Paris, chez Briasson 1731 (pag 207—211).

Tibi vero, pater dilectissime, dissertationem dedicatam volui, tum quod pietatis meae erga Te et gratiae, quam Tibi tantopere debeo, signum etsi tenue atque exiguum Tibi praebere in optatis mihi est, tum etiam, quoniam Tibi placere visum est, quod Sydenhamum tractarem. Narrasti enim tunc, quum Tecum meum communicassem consilium de hoc viro scribendi, Te puerum saepe in armario librorum medicorum avi beati nitidam Sydenhami operum editionem singulari cum voluptate vidisse leviterque inspexisse. Itaque quemadmodum abavus beatus D. Henricus Christophorus Gernhard in Academia Salana anno 1721 dissertationem academicam de Experientia Medica scripsit, sic dissertationem meam inauguralem de medico agere volui, cujus experientia medica tanta fuit, ut britannici nomine Hippocratis dignus judicaretur. Tantam vero indulgentiam, obsecro, pater carissime, erga hasce studiorum primitias praebeas, quanto Te amore ex intimo pectore

colo atque veneror

Robertus Wilibald Gernhard.

Caput primum.

Sydenhami aetas.

Priusquam ad Sydenhamum ipsum accedimus, necesse omnino esse mihi videtur, ut id tempus, quo noster auctor vixit, brevi in conspectu ponamus, ex quo eum, qualis fuerit, melius intelligamus: saeculum dico decimum sextum et septimum, ex quo tempore aetatem novam, quam vocant, incipere solent. Cum Galeni magni doctrina, cujus auctoritas ferrea per tot saecula principatum in medicina absolutum obtinens pedetentim Hippocratis memoriam plane abjecerat, studiis Arabum tam mysticis atque obscuris, quam acutissimis et subtilissimis jamjam majorem vim accepisset, etiam philosophia scholastica, quae tunc omnium fere animos tenuit, eam argutiolarum inanium pleniorem reddidit, sic ut denique ex arte vere medica systema factum esset disquisitionum theoreticarum, quae ad praxin non attinerent. Quamquam vero Graecorum agmina eruditorum, qui a patria expulsi essent, simul cum humanitate et cultu sibi proprio Hippocratis opera in Italiam transtulissent, tamen medici illius aetatis haec scripta magis philologice interpretati, quam medicinam veram, qualem ille statuit, ipsam amplexi sunt. Multo magis et accurata cognitio partium corporis humani, in qua Vesalius inprimis ejusque discipuli anatomiae primum ponerent fundamentum, et investigatio functionum organis innatarum peracuta, qua Harveus, medicinae, quae nunc futura videtur, parens, immortalitatem sibi peperit, galenicos valuit discutere errores, qui artem medicam tam longe involverant. Neque minoris momenti etiam illi morbi populares mihi esse videntur, qui genio novae aetatis proprii per totam Europam grassati sunt atque manifeste testati, istas Galeni theorias ad eorum curationem neutiquam sufficere.

Perinde vero Galeni auctoritatem ingentem dejecit Paracelsus, cujus lingua germanica horrida fuit atque dura, et in cujus ingenio violento atque vehementi, ut in speculo, saeculi ipsius cernitur ingenium. Nonne eo, quod sacra fere Galeni et Avicennae opera Basileae coram discipulis fanaticis flammis traderet, totam veterum medicorum doctrinam deletam esse voluit? Mirabile est, quantam illae columnae, in quibus Paracelsus medicinam statuit, in philosophia scilicet, quae naturam rerum tantummodo ipsam complectetur, in astronomia, quae macrocosmi et microcosmi declaret consensum, in theologia, quae Dei solam sapientiam doceat ejusque vim omnipotentem, et denique in alchymia, quae quaerat elementa virium organicarum, quantam illae, inquam, columnae in posteriore medicinae statu vim habuerint et quoties eam artem a recta via deduxerint. Tantum abfuit, ut post mortem magistri magni discipuli ingeniosam ejus doctrinam magis excolerent, ut eam

aut in arcanis alchymiae medicamentis aut in religiosis mysticisque formulis quaererent. Quid? Revera Paracelsus eo tantum medicinam ulterius promovit, quod aliquot mineralium medicamentorum vires primum in praxin adduxerit? Profecto, maximam discipulorum ejus partem id solum consectatam esse videmus, ut medicinam alchymistarum modo tractarent.

Tota omnino illius temporis medicina in cultu earum disciplinarum erat posita, quae permultum quidem ad eandem artem adjuvandam conferunt, quarum neutiquam tamen debet esse ministra. Etenim quam chemia praecipue et physice, quas, quales nunc sunt, artes illi aetati suam debere originem notum est, alienam vim exercuerint ad medicinam procurandam, partes medicorum diversae testantur, quas post Paracelsi mortem ortas esse historia medicinae docet. Breviter inpraesentiarum hae medicorum sectae commemorandae esse videntur.

1. Conciliatores erant, qui Galeni dogmata et ideas Paracelsi conjungere studuerunt. Quamquam Galeni doctrinam de qualitatibus morbos efficientibus et constituentibus retinuerant, tamen ea etiam medicamenta, quae Paracelsus primum praeparanda docuit, ad praxin adhibuerunt. Huic scholae syncretisticae, quae vocaretur, inter multos alios Raimundus Minderer et Adrianus Mynsicht adnumerandi sunt; celeberrimus vero fuit Danielus Sennert, cujus opera per longum tempus maximam auctoritatem in medicinae scholis obtinuerunt.

2. Mirabilem vim illae „societates physicorum" ad medicinam habuerunt, quae eam Dei nomine propagare studuerunt; inprimis Fraternitas illa inclyta de rosaria cruce, quae alchymistica medicina usa est, ut lapidem inveniret sapientium atque pararet panaceam. Eorum furor aetati huic valde vegetae plane erat proprius, magnusque numerus medicorum, qui cum iis fecerunt, satis superque auctoritatem ostendit, quam haec arcana medicina adepta erat. Equidem quid eorum religiosa et fanatica commenta magis alere potuerit, quam obscura Paracelsi opera?

3. Contrariis partibus studuerunt ii, qui obsoleta Galeni dogmata studio flagranti defenderent. Quatuor qualitatibus solum atque remediis cuique qualitati contrariis artem medendi superstruebant. At Galeni gloria in perpetuum evanuit, etiamsi Thomas Erastus atque Henricus Smetius totos se Galeno tuendo dederint.

4. Helmontii systema ingeniosum in Anglia quidem tunc nullos sectatores habuisse videtur. Helmont ex illis quidem ideis, quas Paracelsus primum de viribus naturae organicis statuit, satis acute atque dilucide Archeum suum duxit, sed praeterea summa subtilitate suam ipse theoriam excoluit, quae Paracelsi principiis plane esset contraria. Idealistica ratio, quam tenuit, plerosque illius saeculi medicos ab eo sequendo deterruit, ita ut posteriori quoque tempore vis, quam in medicina habuit, non fuerit permagna.

5. Contra Sylvii chemica medicina totum fere medicorum gregem ad se allexit. Hoc loco non est propositi mei, de hujus celeberrimi medici sententiis materialisticis fusius agere. Quid vero etiam facilius medicorum animos potuit permovere, quam illa clara et simplicia principia ad fermentationem tantum chemicam humorum pertinentia, ex quibus Sylvius morborum et

naturam et curationem deduxit? Quibus quantopere Sydenham adversatus sit, in eo ipso tractando erit manifestius.

6. In Italia Cartesii philosophia quasi mechanica ad artem quoque medicam adhibita est, ex quo secta Borellii iatromathematica profecta est. Nihil hanc illustrem scholam melius significat, quam titulus „medicina statica," quem Sanctorius libro suo insigni anteposuit.

Et in hac aetate alter Hippocrates exstitit Sydenham.

Caput secundum.

Sydenhami vita.

Thomas Sydenham anno 1624 natus est Windfordi Eagle in provincia Angliae meridianae Dorsetensi, ubi pater Guilielmus, vir nobilis, complures eosque amplos fundos possidebat.

De primis pueritiae annis nihil nobis est compertum. Scite omnino dicit Friedlaender, vir amplissimus, Sydenhamum id quoque cum Hippocrate habere commune, quod utriusque vita prorsus in tenebris jaceat. Itaque paucis illis, quae aut ipse aut alii in scriptis suis obiter de juvenili ejus aetate nobis reliquerunt, contenti esse debemus. Ex quibus constat, ipsum anno aetatis decimo octavo, qui erat saeculi decimi septimi quadragesimus secundus, Oxonii in collegium Magdalenae receptum, sed perbreve tantum ibi tempus commoratum fuisse. Secundum quidem biographiam francogallicam, quam supra citavi, ideo reliquit Oxonium, quod maxima civium academicorum pars in commutatione rerum, quam tunc in Anglia Cromwell celeberrimus contra regem Carolum primum excitavit, regis secuta sit causam, ipse vero reipublicae liberae fuerit amicus. Atque in epistola dedicatoria, quae Observationibus medicis anno 1676 primum in lucem editis anteposita est, narrat Sydenham (Epist. dedic. ad Observ. medic. pag. 1) se ante triginta annos, ergo anno 1646, — quo ille infelix rex captus est, Oxoniumque in Cromwelli partes transiit, — Londinum petiisse, ut inde in Oxoniensem academiam, a qua primi belli calamitas ipsum ad annos aliquot distinuisset, denuo proficisceretur.

Quo modo Sydenham artis medicae cognitioni sese devoverit, illo loco saepius commemorato ipse lepide enarrat. Eo tempore, quo denuo in academiam migrare sibi proposuerit, se auspicato in virum doctissimum et maxime ingenuum D. Thomam Coxe, qui medicinam magna cum celebritate factitaret, fratri suo tunc aegrotanti consulentem incidisse, qui quidem vir pro nota sua humanitate suavitateque morum se percontatus sit, cui se demum arti, intercisa jam repetens studia sumtaque toga virili, pararet addicere. „Ego vero, pergit, incertus adhuc animi et de medica arte ne vel somnians quidem, tanti viri hortatu atque auctoritate permotus, nescio quo fato meo, me ad eam serio adcinxi." Itaque Oxonium reversus est, ut studia, quae ob belli turbas interrupta erant, continuaret et absolveret, ibique anno 1648 Baccalaurei medicinae ornatus est dignitate.

Quum quidam Blackmore in praefatione sui de variolis libri contenderit, Sydenhamum casu quodam et necessitate urgente medicum factum esse et sine ullo praeparante praeviaque artis medicae cognitione ad eam exercendam accessisse, non potui non causam hujus calumniae, illud scilicet dicterium proferre, quod Sydenham isti respondit Blackmoreo, eum de libris, quorum lectione sese optime ad artem feliciter faciendam formaret, consulenti: Lege Don Quixotum! Quid hoc dicto, quo iste tantopere permotus criminationem istam falsam sparsit, sibi voluerit Sydenham, ex eo intelligi mihi videtur, quod fatetur (Tract. de podagr. pag. 382) se, quod tempus alii libris legendis, id omne meditationi impendere fuisse solitum. Profecto, quid illud dicterium verum esse manifestius probat, quam Sydenham ipse, summus hic vir, qui medicinae formam, qualis tunc erat, penitus immutavit melioremque reddidit? In illa epistola, e qua omnia fere ea, quae de auctoris vita ad nostram notitiam venerunt, haurienda sunt, mox se in eam venisse dicit sententiam, quae secum in dies creverit, medicinam scilicet haud melius perdiscendam esse, quam ab ipsius artis exercitio atque usu.

Ut Oxonii collectum scientiae medicae thesaurum magis locupletaret, petiisse dicitur Montem Pessulanum, ubi tunc celeberrima et maxime frequentata schola medica florebat.

Doctoris medicinae dignitatem acquisivit in Cantabrigiensi literarum universitate. Postquam a collegio medicorum Londinensium res medicas administrante veniam medicinae Londini factitandae adeptus est, eam urbis partem nobilem, quae Westminster vocatur, fortunarum suarum sedem elegit. Brevi felicissimis morborum curationibus tantam nominis celebritatem famamque nactus est, ut hac exercendae medicinae venia perdignus censeretur. Itaque Sydenham mox inter medicos Londini innumerabiles in arte salutari sic eminuit, ut non ab aegrotis solum, sed etiam a collegis in gravissimis casibus consuleretur.

Cum pestis annorum 1665 et 1666 mensibus Majo et Junio eam attingeret saevitiam, ut septem dierum spatio totidem millia hominum morbo succumberent, Sydenham isto furibundo urbis incendio, dirissima pestis socia, ex aedibus suis expulsus atque amicorum hortatu aliorumque exemplo permotus se cum tota familia fugientium multitudini adjunxit atque ad aliquot lapides ab urbe secessit. Nulla profecto res Sydenhamo magis objecta est, quam haec fuga. „Maturius tamen vicinis eo“ rediit et aegrotorum curam denuo in se suscepit (Observ. med. sect. sec. capit. sec. pag. 100).

De rebus familiaribus nihil aliud nobis reliquit, quam quod patrem nonnullorum se ipsum appellat liberorum, inter quos Guilielmus, haud dubie natu maximus, ejusdem cum patre artis studium amplexus est.

Inde ab adolescentia Sydenham podagra laboravit, quem atrocissimum morbum summa cum patientia toleravit. Praeter hunc dirissimum morbum alius huic cognatus Sydenhamum excruciavit. Calcarea enim materies, cujus podagricus morbus saepe magnam copiam generat, in renibus in calculum coiverat, qui senem pessime haberet. Stimulo continuo renes inflammati tandem ulceri formando occasionem praebuerunt, quod sensim profundius in

vasculosam renum substantiam penetrans, exesis vasis, sanguinis stillicidium produxit, quod vires aetate jam graviter afflictas magis magisque debilitavit et consumsit. Quo accessit vehementissimus podagrae insultus. Qui morbus cum ob vires valde labefactatas in externas partes solito more desaevire non posset, interiores petiit et enormi vomitu creberrimisque alvi dejectionibus productis summum medicum die 29. mensis Decembris anni 1689 rebus humanis eripuit.

Qualis Sydenhami medici fuerit indoles, ex scriptis ejus patet perillustribus. Luculentissime haec probant experientiam medicam non solam et unicam fuisse virtutem, qua excelluerit. Benevolo candidoque animo eum fuisse, plures quam unus locus docent. Nonne verba sequentia: „Omnipotentis Dei est sontes castigare, nostrum vero miseris pro virili succurrere atque aegris opem ferre, non autem curiosa causarum indagatione illos acrius urgere aut censorio vexare fastu" (Epistol. II resp. pag. 286), nonne, inquam, haec illam ejus humanitatem demonstrant, quacum aegrotos juvare studuit? Nihil praeclarius antiquiusque habebat, quam humano generi sua eruditione suoque artis salutaris usu salutem afferre. Tum se maxime felicem praedicabat, cum invenisse viam arbitraretur atque rationem, qua morborum, qui maximam hominum stragem edere solent, saevitiam coercere plurimorumque aegrotorum vitam et sanitatem posset conservare. Ea humanitas, quae medicum verum ad divinam artem medendi colendam permovet excitatque, Sydenhamo erat innata atque insita. Revera praebuit integer vir, quod aliquando dicit: Aequa enim lance et scrupulose expendens, hominesve juvare praestet aut ab iis celebrari, prius illud praeponderare comperio et maximi sane momenti esse ad animi tranquillitatem, famam vero populique halitum pluma leviorem aut bulla atque umbra insomnii magis evanidum. Religiose Deum colebat et quotiescunque ejus mentionem facit, summa cum reverentia illius praedicat nomen; ab eo derivat, quidquid boni e sua experientia medica in aegrorum salutem redundaverit. Profecto Sydenham vita et factis declaravit, quod gravissimum sibi proposuit ipse; et posteritas grato animo ejus memor id libentissime testatur et asseverat, quod Sydenham ipse profitetur: „Sane cum supremus vitae instabit dies, confido mihi affuturum alacrem in praecordiis testem, me non solum aegrorum omnium cujuscunque demum sortis, qui sese curae meae concrediderant, summa fide ac diligentia salutem procurasse, verum etiam pro ingenii modulo omnes animi nervos in hoc intendisse, ut, si quo modo fieri possit, morborum medela post cineres meos majore cum certitudine administraretur!"

Caput tertium.

Sydenhami scripta.

Quamquam opuscula, quae emisit Sydenham, unicam fere auctoritatem reddunt, ex qua, qualis medicus fuerit, cognoscamus, tamen haec sufficiunt, ut admiratione viri permagna afficiamur. Quantam in celebritatem Syden-

hamiana scripta pervenerint, ex eo emergit, quod quum libros iterum ac saepius typis exscribendos curaverunt, tum posteros eam medicinae rationem medendique inprimis methodum, quam Sydenham in medium protulit, probasse imitatosque esse historia medicinae docet. Sane auctori, qui a lectore petit, ut, si circa theoriam hallucinatus fuerit, ipsum libere ac palam reprehendat, huic seni in immodestiam accipere nequimus, quod ex animo de scriptis suis haec profitetur: „Verum ista, ait, quod spectat, quae hactenus in publicum dedi, si quis ea semel tantum perlegere dignetur, est quod doleam, me huic eam perdendi temporis ansam praebuisse. Quod si eadem saepius relegere voluerit et alta mente reponere, nullus dubito, quin eum fructum ex iis capiat, qui voto et magnis laboribus, quos ego in istis observationibus faciendis componendisque locavi, aliquatenus respondeat. Quae quidem quam bona fide fuerint traditae, haud aliter sciet, quam si in earum praxi fuerit versatus; ac perinde in observando diligens ac curiosus explorator, atque ego prius fueram!“

Opuscula Sydenhami haec sunt:

Methodus curandi febres propriis observationibus superstructa. Lond. 1668. — Totus parvulus libellus postea insertus est in libro sequenti:

Observationes medicae circa morborum acutorum historiam et curationem. Lond. 1676 et saepissime. *Praemissa est epistola dedicatoria ad Johannem Mapletoft MD* — Princeps opus, quod Sydenham ipse optimum suum vocat, ad quod scribendum labores per meliores vitae annos corpore animoque exantlaverit; hoc celeberrimum scriptum, quod in omne tempus valebit specimen, continet historiam et curationem morborum acutorum eorumque quidem imprimis epidemicorum, qui Londini ab anno 1661 ad finem usque anni 1675 dominati sunt.

Epistolae responsoriae duae: prima *de morbis epidemiis ab anno* 1675 *ad annum* 1680, (quem tractatulum postea ad annum usque 1684 continuavit) *ad Robertum Brady MD.;* secunda *de luis venereae historia et curatione*, *ad Henricum Paman MD. Lond.* 1680.

Dissertatio epistolaris ad Guilielmum Cole MD., *de observationibus nuperis circa curationem variolarum confluentium: nec non de affectione hysterica. Lond.* 1682.

Dissertatio de febre putrida variolis confluentibus supervenienti. Lond. 1682.

Tractatus de podagra et hydrope, *quem praeit Epistola ad Th. Short MD. Lond.* 1683. — Quamquam Sydenham e sua ipsius professione atrociorem podagrae expertus est insultum, quum maxima animi intentione historiam morborum chronicorum eorumque quidem, qui ipsi curandi obvenerant, scriberet, sic ut, quoties diu sepositum hunc laborem denuo aggrederetur, toties morbi dirissimi reditum efficere posset, tamen perfectam et absolutam utriusque morbi praestitit descriptionem, quae ad summam pervenit celebritatem.

Dissertatio de mictu sanguineo a calculo renibus impacto. Lond. 1685.

Schedula monitoria de novae febris ingressu, *praemissa epistola ad Carolum Goodall MD. Lond.* 1688. — Febrem stationariam quandam peripneumoniae similem describit nec non de universa ratione febrium malignarum agit.

Processus integri in morbis fere omnibus: nec non de phthisi tractatus (imperfectus). *Lond.* 1693. — Hoc opusculum post mortem auctoris ab alio quodam, qui nomen suum siglo S. M. abscondidit, editum Sydenham in filii Guilielmi usum conscripsisse dicitur. Editor hujus libelli testatus est, sese „processus“ a Sydenhamo exaratos accepisse et, ne fortasse illis contenta praecepta saluberrima memoriae parum fidae exciderent, typis mandasse, exemplis quidem solum viginti circiter impressis, sed tum ab aliis multiplicatis. Si hoc opusculum, quod nihil aliud est, nisi compendium verbotenus ex operibus clarissimi viri desumtum, sive Sydenhami ipsius manu, — quod ego quidem in dubium voco, — sive ab alio est conscriptum, non in lucem pervenisset, multo melius fuisse, si dicere licet, arbitror. Etiamsi perbreves morborum descriptiones satis acute et concinne

sunt expressae, tamen opusculum magis inertiae desidiaeque adjumentum esse mihi videtur, quam quod Sydenhami nomine sit dignum. Quid? Revera Sydenham tantula morborum breviaria receptorum quadam, ut ita dicam pompa, stipata filio voluit relinquere, ut normam haberet quandam, ad quam curationes dirigeret morborum? Tamen, ne rixari videar, „processus isti integri“ integritatem suam satis eo ostenderunt, quod inter omnia Sydenhami scripta saepissime typis sunt conscripta.

Opera omnia summi viri frequentissime repetita sunt, nec Londini solum, sed Amstelaedami etiam, Lipsiae, Genevae, Lugduni, aliis locis, quos omnes in Halleri Biblioth. medicin. practic. (Tom. III lib. X pag. 188) perfecte et accurate innumeratos invenies.

Caput quartum.

Quid in medicina omnino effecerit Sydenham.

Quamquam satis saepe audimus, ejus, qui praestantis vi ingenii emineat, sentiendi scribendique rationem ex aetatis, cujus sit, ratione atque natura emanare, tamen aliam huic oppositam statuere possumus sententiam. Id enim, quo ille excellit, saepius ejus est habitus, qui aetatis moribus plane sit contrarius. In quo summam ipsam praestantiae conditionem positam esse apparet. Quin etiam ingenii excellentis proprium esse mihi videtur, primum adversari prorsus aetatis suae characteri, tum vero sua via, quam constanter sequatur, incedere. Itaque similem in Sydenhamo rationem fuisse opinor. Tantum vero abest, ut apertum hujus tanti viri judicium mihi assumam, ut exquirere tantum studeam, qualis fuerit ratio, quam ad aetatem suam habuerit; ex quo forsitan, qualis ipse fuerit, cognoscamus. Equidem haud ignoro, quam ardunm sit, totius ingenium aetatis intelligere, cujus obscuritas proverbio increbuit, sicuti certo scio, positum esse in gravissimis, viri indagare indolem, cui dicere licuit, eum, qui sua opera semel tantum perlegerit, haud multum exinde proficere. Tamen periclitor breviter de eo ipso disputare.

Itaque hoc sit primum, ut demonstrem, quid Sydenhamum in medicina, qualis tunc temporis fuit, maxime offenderit, opinio scilicet, ex qua medicinae salus in inanibus theoriarum commentis poneretur; at contra Sydenhamum denuo medicinae priscam reddidisse basin, quam Hippocrates ei substraverit. Quae singula vero incrementa Sydenham tulerit medicinae, alterum sit, quod in capite sequenti ostendam: quod scilicet primum graphicam atque naturalem morborum historiam necessariam esse quum doctrina tum exemplo praestiterit, tum quod morborum curationem magis ad naturam accommodaverit, denique quod animos medicorum ad genium morborum epidemiorum direxerit.

Primum Sydenham hypotheses quascunque theoreticas in medicina adhibendas omnino non probat. Vehementer indignatus est, quod tum, quae medica appellatur, revera „confabulandi garriendique“ potius fuerit ars, quam medendi. Etenim si respicimus varias medicorum rationes ejus temporis, quod initio dissertationis describere studui, invenimus artem ipsam medicam plenam fuisse hallucinationum, „quas peperit lascivientis ingenii et phantasiae luxus.“

Tamen ab ista inani commentorum pompa ac levicularum rerum notitia, quae medico ad abigendos morbos non magis ex usu futura sit, quam „architecto ad construendas aedes musicae artis peritia," seponi vult subtilitates et minutias acutas in praxi indaganda, quae ex hac ipsa nascantur et sine quibus medicina cum laude non possit exerceri. Optimo jure castigat illos scriptores, quorum scripta hypothesibus tantum innitantur physiologicis, „quum phaenomenon aliquod morbi, quod forsitan istis ipsorum speculationibus sit adaptatum, supra modum evehant ac plane reddant *εκ μυος ελεφαντα*, quasi in hoc totius negotii cardo verteretur, alia autem symptomata multo graviora prorsus negligant." Occasionem hic mihi praebitam de physiologia Sydenhami pauca dicendi libenter arripio.

Fieri non potest, quin scriptor, qui in morborum historia et curatione inprimis versatur, anatomiam et physiologiam uberius tractet. Itaque etiam apud nostrum auctorem nusquam longas explicationes invenies, quae spectent ad structuram humani corporis et ad normales organorum functiones. Etenim hoc ab ejus fine erat alienum. Attamen despicit neutiquam harum doctrinarum studia. Quamquam enim pluribus locis profitetur, methodum, qua in fabricanda corporis humani machina usus sit sapientissimmus artifex, mortales semper latere modumque, qua natura operetur, non posse percipi, tamen necesse esse dicit, ut medicus structuram humani corporis probe calleat, „quo rectius veras ideas et naturae et causarum quorundam morborum animo concipere ac formare queat." Egregie in tractatu celeberrimo de hydrope (pag. 436), ubi disserit de illo Hippocratis dicto, „ea scilicet, quae ab aliquo sophista aut medico de natura dicta vel scripta sint, minus ad artem medicam spectare, quam ad pictoriam," empiricos castigat, qui ex illo Hippocratis loco ignorantiae suae quaerant patrocinium. Inprimis chirurgi esse censet, in humani corporis structura accurate cognoscenda studium omne ponere, quo melius et inter operandum partes singulas discernere et ossa dislocata ad situm naturalem recte possit reducere. Humani corporis notitiam omnino esse necessariam, „quam qui non habet, cum quibusdam morbis Andabatarum, quod ajunt, more pugnabit." Hoc cito et facile perdisci et posse et debere sectionibus cadaverum vel humanorum vel animalium quorumlibet. Hippocratem vero in loco praedicto neutiquam generalem fabricae humani corporis notitiam voluisse carpere ac sugillare, sed cavere tantum, „ne ita homines in cadaverum dissectione potius, quam ex phaenomenorum naturalium, ut et juvantium et laedentium diligenti observatione promoveri possit ars medica." Quam vero ob causam Sydenham microscopium quodvis vel exquisitissime elaboratum nequaquam accuratiorem rerum cognitionem proferre putaverit, ex eo elucet, quod paulo infra: „Cum rudis, ait, et indocta cognitio nostra in rerum cortice omnis ferme versatur, ac ad *το ὁτι* sive quod res hoc modo se habeat, fere tantum assurgens, *το διοτι* sive rerum causas nullatenus attingat." Quid? Nonne auctori speculationes futiles, quibus jaceant naturae judicia, castiganti assentimur, quum clamantem eum audimus: „Dici vix potest, quot erroribus ansam praebuerint hypotheses istae physiologicae, dum scriptores, quorum animos falso colore illae imbuerint, istiusmodi phaenomena morbis affigant, qualia, nisi in ipsorum cerebro, locum nusquam habuerunt, debuerunt autem

in conspectum venire, si hypothesis, quam ipsi pro concessa ac rata habent, constaret veritas (Praefat. ad observ. med. pag. 7)."

Eodem modo chemiae sectatoribus non consentit, qui tunc temporis cerebrum sibi eo usque excalefecerint atque torserint, ut tandem arbitrati sint, artem medicam in hoc praesertim deficere, quod remediis magnis atque efficacibus sola chemicorum praeparatione atque opera conciliandis indigeat. Quamquam enim non tam est ingrati animi, ut non libenter agnoscat id emolumenti, quod chemiae, arti satis laudabili, acceptum debeamus, eo quod salubria nonnulla medicamenta et indicationibus satisfaciendis perquam accommoda nobis suppeditaverit, tamen nondum ita bene cum illis chemiae elaboratoribus esse dicit, ut quae in organis suis *πολυτεχνοις* medicamenta elaboraverint, majus aliquod in morbis debellandis praestent, quam quae contundantur vel in mortario vel in olla decoquantur (Tractat. de hydrop. pag. 438). Remedia vero, quae praescribit Sydenham, tam simplicia sunt, ut ex hoc appareat, eum in exstirpandis morbis indicationes curativas pluris aestimasse, quam remediorum pompam subtilitate maxima a chemicis elaboratam.

Si quem desiderium revera incitaverit, firmum Sydenhami judicium cognoscendi de istis curiosis et *παρεργοις* speculationibus, quae ad homines orco eripiendos ne hilum faciant, legat iterumque legat in Dissertatione auctoris epistolari (pag. 339) illam comparationem inter navis gubernatorem et medicum egregiam. Sydenhami quidem ingenium animadvertere debebat, commenta rationis tam varia esse tamque subtilia, ut id, quod meris speculationibus sit suffultum, nullo autem certo experimento determinari queat, etiam si haud exigua verisimilitudinis specie sit innixum, absolute verum esse possit et perfectum. Itaque is, cui tam hominum quam rerum natura satis esset perspecta, rectissime intellexit, etiam theoriam, quae nunc omnium extorqueat assensum, alii cedere debere, quae sententiam tam pulchre stabilitam convellat aliamque proponat, quae etiam pari cum superiori illo fato frangetur, quoties tertia aliqua se objecerit. „Medicus, ait in illa excellenti comparatione, cui non alia, quam curandorum morborum provincia decernitur, in arte vere medica eo maxime proficiet, quod in occulta et tortuosa illa methodo, qua natura morbos parit alitque, indaganda atque in remediis iis adaptandis omnes animi vires intendat." Quo alio modo finis, qui sincero medico est propositus, et verius et clarius definiri potest? Haec quidem est causa, ex qua Sydenhamum tantopere admiror, qui vitam totam huic fini assequendo destinaverit. „Medici philosophia omnis in expiscandis morborum historiis iisque remediis adhibendis, quae, experientia indice ac magistra, eosdem valeat depellere, tota stat, observata tamen methodo, quam recta ratio, non speculationum commentis, sed trito et naturali cogitandi modo innixa, ei declaraverit" (De hydrop. pag. 450). Si hypotheses ab ipsis rebus fluunt, ex iis tantum observationibus natae, quae phaenomena practica et naturalia suggerunt, stabiles manent et inconcussae, ita ut licet praxis medica ex hypothesibus orta videatur, nihilominus ipsae hypotheses, si modo fuerint solidae ac genuinae, praxi quadamtenus originem debeant. Oportet omnino phaenomena practica quasi uno ore rationis judicio suffragari, „cum naturae judicia, rerum veritati superstructa, non

nisi cum ipsa natura intercidant" (ibid. pag. 439). Qui vero medicus ad illa tantum applicat animum, quae praxis certo determinare queat, si quid forte fuerit hallucinatus, nullo negotio ab errore liberabitur, ad hanc ceu ad Lydium lapidem probatis, quas animo conceperat, ideis (Dissert. epist. pag. 319). Praxis ipsa est optima dux atque magistra, ad cujus leges et normam nisi exerceatur medicina, eam prorsus exulare satius esset.

Est gentis anglicae, cujus Sydenham fuit, proprium, totum ingenium in ea idearum rationumque perspectione defigere, qua eas ad vitae usum possit adducere. Cujus celeberrimae nationis omnes, quorum natura praecellenti intellectus vi polleret, eam summae perfectionis imaginem animo et cogitatione conceperunt, qua ad vitam ipsam communem quam maxime conferrent. Quam ob causam etiam in divina arte, quae maxime vitam spectat intimam, Anglia viros et sapientia et doctrina perquam excellentes produxit, qui perfectam medicinae speciem in summa praxeos tantum conformatione quaererent. Hic Anglis usque ad nostra tempora intime innatus mos etiam in judicio de Sydenhamo constituendo maxime respici debet: quo pacto perspicimus, quam ei istae subtiles theoriae, quibus medicina ad taedium usque erat referta, contemptae viderentur et abjectae.

Quem ducem Sydenham in medicina praecipue secutus sit, *ipse aperte profitetur: Hippocrates divinus est solus*, quem summis ubique extollit laudibus. Quid mirum? Nonne illas naturae operationum observationes, in qua veram praxin medicam fundari statuit, Hippocrati praesertim debuit? Ea enim praxi eaque quidem sola, quae indicationes curativas ex ipsis morborum phaenomenis elicit, dein firmat experientia, magnus Hippocrates ad coelum adscendit. Facile vero est intellectu, quam arduum fuerit Sydenhamo hoc coeptum quamque periculosae aleae plenum, cum apud alios in medicina scriptores vix ulla deprehenderit viae vestigia. Itaque Sydenham a suo theoriarum inanium tempore, cujus characterem exponere supra periclitatus sum, saltum quasi fecit ingentem ad Hippocratis usque medicinam integram et naturalem.

Non invtio animo ansam hic mihi praebitam concipio, sententias aliquot, quas Sydenham Hippocratico modo de natura morborum statuerit breviter exponendi.

Initio Observat. medic. (I, 1, pag. 21) morbum nihil aliud esse statuit, quam naturae conamen materiae morbificae exterminationem in aegri salutem omni spe molientis. Natura vero de ejusdem methodo ac symptomatum concatenatione sibi prospexit, quibus materiam peccantem atque alienam, quae totius fabricae compagem aliter solveret, e suis finibus possit excludere. „Ipsa pestis, quid, obsecro, aliud est, quam symptomatum complectio, quibus utitur natura ad inspiratas una cum aëre particulas *μιασμώδεις* per emunctoria, apostematum specie vel aliarum eruptionum opera, excutiendas. Quid arthritis, nisi naturae providentia ad depurandum senum sanguinem atque expurgandum corporis profundum?" (ibid. pag. 22).

Quod ad causas morborum attinet, fatetur, illas remotiores, in quibus assignandis et in lucem extrahendis hominum curiosorum vanae speculationes unice desudent et triumphent, prorsus esse inscrutabiles, solas vero proxi-

mas et adjunctas a nobis posse cognosci. Morbi cujuslibet causa posita est aut in eo, quod humores aliquo contagio infecti sint, de qua morborum epidemiorum causa infra tractabitur, aut quod humores a manifesta aëris constitutione labem morbificam sibi contraxerint, aut in variis fermentationum generibus vel etiam putrefactionibus humorum, qui in corpore ultra justum tempus ideo sunt commorati, quia iisdem digerendis primum, dein excernendis, vel ob nimiam eorundem molem vel ob qualitatem incongruam suppar idem non fuit.

Solemnis autem naturae machina, qua in perturbanda atque eliminanda materia ista inimica in sanguine latenti praecipue utitur, est febris. Febri adjutrice particulae inquinatae a sanguine divelluntur divulsaeque progressu adhuc ulteriori per sudores, diarrhoeam, eruptiones aut aliam ejusmodi evacuationem expelluntur. Quae res omnis in sanguinis massa, „corpore pertenui ac fluido," peragitur idque motu partium violentiore. Si natura materiam morbificam hoc critico modo noverit solvere, morbus in aegri salutem frangitur sanitasque insequitur. At contra mors finit morbum, cum naturae febre molientis vires materia morbifica suppressae fatiscunt. Ex hoc violenti sanguinis motu, qui febri accedit, fit, ut pejora vehementioraque symptomata se ubique comites adjungant.

Quamquam auctor non dubitat, hanc sanguinis concitationem secretioni materiae heterogeneae ipsique naturae adversantis inservientem ad exemplum recentiorum sive fermentationem sive ebullitionem evocare, tamen magis ei arridet „latius et generalius commotionis vocabulum, quippe quod inanis *λογομαχιας* occasionem praescindat, quam fortassis istiusmodi voces haud satis caverent" (Observ. med. I, 4, pag. 34—36).

Tamen non ad eliminandam solum materiam quandam peccantem, in massa sanguinea conclusam ipsique inimicam, natura hanc febrilem sanguinis commotionem concitat, sed ad sanguinem etiam parum et intaminatum in novum quendam statum et diathesin immutandum. Etenim frequenti compertum est observatione, homines, in quibus neque apparatus ullus morbificus, quoad plethoram vel caccochymiam, neque ulla insalubris aëris anomalia febris praebuit occasionem, febri posse corripi. Insignis tamen aëris, victus caeterarumque rerum non naturalium mutatio oportet praecedat. Sanguis eorum novum quendam statum et conditionem gestit adipisci, qualem ejusmodi aër aut victus postulaverit. Quamquam vero hic particulae pro vitiosis haberi nequeunt, quae in sanguine stabulantes febrim procreent, tamen dubitari non debet materiam in sanguinis despumatione post febrilem commotionem solemniter excretam esse vitiosam.

Ut ad divisionem morborum generalem accedamus, morbi sunt alii, qui velociter atque cum impetu et periculo ad statum moventur, qui morbi cito vel perimunt, vel ad concoctionem perducuntur, et tales morbi vulgo acuti audiunt et ideo acuti sunt, breves vero, quia motum habent ita celerem et violentum. Chronici appellantur isti, qui vel non omnino vel tarde admodum et longa temporis mora ad eandem coctionem pertingunt. Quod acutos spectat, quorum genus secundum Sydenhamum duas tertias morborum partes comprehendit, alii a secreta atque inexplicabili aëris alteratione hominum

corpora inficientis gignuntur; hi, durante arcana illa aëris constitutione, satis pergunt lacessere, neque alio ullo tempore invadunt. Ad hujusmodi morbos, quos epidemios vocamus, infra propius accedemus. Quod acutorum morborum genus Sydenham dicere poterat plerumque Deum habere auctorem, sicuti chronicorum genus ipsos nos. At vero praeter hos morbos a causa externa excitatos, sunt et alii perinde acuti, ab hac vel illa peculiari sanguinis inflammatione nati, qui non a causa aliqua generaliori ab aëre pendente, sed a particulari particularium corporum anomalia vel intemperantia producuntur. Cujusmodi morbi, qui licet jam parcius, jam inclementius saeviunt, cum febrium epidemiarum quibuslibet eodem anno indifferenter commiscentur, quos idcirco intercurrentes sive sporadicos appellandos Sydenham censet. Hi acuti quibuslibet annis et quolibet anni tempore indifferentur invadunt, exempli gratia febris scarlatina, pleuritis, peripneumonia notha, rheumatismus, febris erysipelatosa, angina et forte alii quidam, qui a subito calore intensius ac diuturnum frigus statim excipiente plerumque invadunt (Observ. med. I, 2, pag. 25). Febris, quae hosce intercurrentes (Ibid. VI, 1, pag. 223) morbos vel adhuc comitatur, vel saltem fuit comitata, donec exonerata in partes sive has sive illas, pro morbi ratione, materia febrili, sibi exitum invenerit, febris, inquam, haec ipsa pro morbo primario est habenda atque reliqui effectus, a quibus plerumque morbi isti nomen mutuantur, symptomata tantum sunt habenda, quae vel peculiarem criseos modum vel partem, in quam ruit morbi vis, praecipue spectant. — Sunt vero et aliae febres intercurrentibus jure merito adnumerandae, quoniam alio alioquo modo immediate abitum sibi parant et in hoc vel illo symptomate desinunt, vulgo febres non habentur; licet tales ab origine vere fuerint, atque affectus iste, a quo morbus nomen mutuatur, febris tantum sit symptoma, quae in illo demum determinetur; cujusmodi sunt haemorrhagia narium ac haemoptoe (Observ. medic. VI, 7, pag. 249). — In acutorum numero intermittentes etiam febres, quas dicunt, si minus accurate, haud tamen minus vere loquamur, sunt numerandae, quae licet respectu paroxysmorum si omnes simul sumantur, tardius moveant, respectu tamen paroxysmi cujuslibet particularis, cito atque etiam critice ad finem perveniunt. Quod demonstrat etiam constitutio epidemia prima a Sydenhamo observata, in qua febrem intermittentem autumnalem febris continua subsecuta fuit, quae ab illius genio in hoc tantum abhorrebat, quod illa statis solum temporibus, haec continenter urgeret. Discrimen in hoc maxime videbatur versari, quod „continuae conceptam simul effervercentiam *συνεχως* eodemque semper tenore perficerent, intermittentes autem partitis viribus ac diversis temporibus eadem fungerentur“ (Ibid. I, 3, pag. 33).

De chronicis morbis, ut etiam Sydenhami sententiam breviter referam, verba tam egregia facit, ut non potuerim non hunc locum huc spectantem reddere. Ubi continens, ait, morbi materia ejus est indolis, ut febrem in partes suas pertrahere non valeat, ad dictae materiae separationem universalem, aut cum hujusmodi materia parti alicui affigitur, qui eidem explodendae prorsus est impar, sive ob propriam conformationem (uti se res habeat in materia morbifica paralyticorum nervis impacta, in materia item sup-

purata in cavitate thoracis empyicorum), vel ob defectum caloris naturalis et spirituum (ut quum pituita in pulmones decidit vel senio vel tussi diuturniore labefactatos), vel denique ob continuum materiae novae affluxum, qua sanguis vitiatus et ad ejusdem eliminationem unice dispositus partem obruit gravatque, in his casibus vel tarde admodum ad coctionem pervenit materia, vel non omnino; ideoque morbi ab hujusmodi materia incoctili pervenientes chronici et nuncupantur et sunt (Ibid. I, 2, pag. 23). Singuli vero hujus generis morbi ad unam eandemque causam universalem debent referri, humorum scilicet indigestionem. Ubi enim quis natura principia jam habuerit infirmata ac protrita, sive a senecta sive a magnis et continuis circa sex res non naturales erroribus, praecipue in cibo potuque, vel si organa secretoria eo usque fuerint debilitata, ut jam functionibus suis ad defaecandum sanguinem et ejus superfluitates eliminandas destinatis prorsus fuerint imparia, his in casibus uberiori humorum proventu jam coagmentato, quam cui digerendo hominis vires sufficiant, dicti humores mora diuturniore varias fermentationes ac putrefactiones patiuntur, tandemque in speciem erumpunt et varias morborum species edunt pro depravationum varietate. Et prout hi succi depravati variam habent indolem, ita varie in hanc aliamve partem dilabuntur, qui iisdem excipiendis aptissima est; atque ibi sensim longam illam symptomatum seriem explicant, quae partim a talium succorum natura, partim ab *αταξια* istis partibus illata solent exoriri: quae duo simul juncta istam naturae anomaliam constituunt, quae morbi alicujus nomine insignitur (De podag. pag. 403). Haec naturae impotentia ad coquendos humores maxime manifesta est in senibus, quorum spiritus, coctionum instrumenta, a repetitis vitae longioris functionibus absumpti sunt. Atque quia hiems, in cujus cursu humorum proventus valde auctus est, longe magis ad istiusmodi morbos, ut podagram, asthmatusses etc. disponit, quam aestas, perigrinatio in regiones australes efficacissime hos in frigidioribus non sanandos morbos expugnat. Aequo modo iis, qui morbis chronicis, praecipue vero phthisi laborant, equitatio, quae digestiones singulas invigorat, ingens et quasi stupendum ac incredibile offert emolumentum. — Alia morborum chronicorum causa est spirituum animalium *αταξια*, a qua pendent affectiones istae, quas in feminis hystericas, hypochondriacas in maribus insignire libet. Longum vero est, Sydenhami disquisitiones de hoc spirituum non recte dispositorum statu, ex quo morbi chronici oriantur magis dynamici, et de ejus causa explicare.

Naturae vis medicatrix in stadiis potissimum morborum intelligi potest. Jamjam Hippocrates docuit, stadia esse tria morborum, tempus exhorrescentiae, ebullitionis et despumationis, ex quo febris naturam maxime perspicimus. Febris nimirum est naturae instrumentum, quo partes impuras a puris secernat; hoc illa modo plane inexplicabili praestat ab initio atque etiam in acme morbi; verum in ejusdem declinatione apertius atque manifestius idem aggreditur, id quod ex urina cernere licet. Materiae febrilis despumatio sive concoctio nihil aliud revera significat, nisi peccantis materiae a sana separationem ejusque materiae febrilis jam subactae et quasi devictae expulsionem. Tamen etiam arbitrandum est, existere quasdam febrium species,

quas natura methodo sibi peculiari, sine visibili aliqua evacuatione ablegat, reducendo scilicet in sanguinis massam eique assimilando materiam illam morbificam, quae cum eodem minus quadraret.

Saepe natura morbos eo modo decernit, ut localis aliqua conformetur affectio. Materia febrilis a sanguine secreta per arterias in singulas corporis partes diducitur, ex quo morbus ipse paullatim ad finem accedit. Quod fieri cernimus in febribus infantum tenerorum intermittentibus autumnalibus, quas nulla spes est abigendi, donec materia morbifica in abdomen, praecipue in lienem, deposita sit localesque ibi appareant affectiones.

Excellentissimam morbi alicujus acuti imaginem in febre continua invenis, quae primae epidemiorum, quam observavit, constitutioni fuit propria. Haec febris aliarum, quotquot sunt, omnium praecipua ei visa est et coryphaea atque, ut ita dicam, vere hippocratica, et ideo quidem, quod natura in hac prae aliis quibuscunque uniformiter ad eandemque fere normam, tum materiam morbificam ad debitam concoctionem perduxerit, tum coctam certo atque praefinito tempore exegerit atque eliminaverit (Observ. med. I, 3, pag. 33).

Equidem non possum non afferre quendam locum (Ibid. praefat. pag. 9), qui magnopere mihi placet. „Medicorum ille, ait, Romulus, non satis laudatus Hippocrates hanc arti medicae insuper struendae solidam ac inconcussam substernens basin, scilicet *νουσων φυσιες ιητϱοι*, id egit, ut morbi cujuslibet phaenomena aperte traderet, nulla theoria ascita et in partes per vim adacta. Regulas etiam quasdam tradidit observatione methodi istius, qua utitur natura, tam in morbo provehendo, quam in eodem amoliendo, natas. Atque in his fere stetit magna illa divini senis *θεωϱια*, non ab irrito lascivientis phantasiae conamine desumta seu vana aegrorum insomnia, sed legitimam exhibens historiam earum naturae operationum, quas in hominum morbis edit. Cum vero dicta *θεωϱια* nihil esset aliud, quam exquisita naturae descriptio, par erat omnino, ut in praxi eo tantum collimaret, ut eidem laboranti, quibus possit modis, subvenire contenderet; unde non aliam arti demandat provinciam, quam ut deficienti naturae succurrat, effraenem coerceat et in ordinem redigat; utrumque vero hoc, tum passu illo, tum etiam methodo, quibus natura morbum expellere satagit atque amovere. Animadverterat nempe sagacissimus vir, quod sola natura *τας νοσους κϱινει και εξαϱκεει τα παντα πασι.* Atque haec omnia peragit natura paucissimis simplicissimisque adjuta remediorum formulis, alicubi etiam prorsus nullis.“

Poëma illud, quod a quodam Hannesio Sydenhamo dedicatum ejus opusculis (Schedul. monit. pag. 458) adjectum est, hos continet versus, qui tam bene id, quod demonstrare studui, exprimunt, ut eos hic describam:

Haec praxis olim grande decus sacrae
Adduxit arti; sic veterum stetit
    Secura fama, sic praeivit
        Hippocrates meruitque coelum.
At non eandem sorte pari viam
Pressit Galenus; non Arabes virum
    Aeque secuti; non Falerna
        Usque madens Paracelsus uva.

Primus relictae tu genium adseris
Fidemque normae! — —

Quem omnino statum Hippocrates cumque eo Sydenham in medicinae campo elaborando obtinuerint, D. Spiess, vir doctissimus maximeque ingenuus, in recensione supra citata perbene exponit. Atque quoniam viri illustris sententiam illo loco explicatam magnopere probo, in Sydenhamo cognoscendo propius ad eam accedere mihi licebit. Quamquam nimirum Hippocratem et Sydenhamum practicam solum medicinam promovisse, Galenum vero, Stahlium, alios, theoreticam medicinae partem excoluisse saepissime dicunt, tamen aeque hippocraticam medicinam theoriis ad naturam morborum attinentibus non prorsus destitutam esse non negandum est, atque galenicas theorias in experientia practica positas esse concedendum est. Quid? Nonne hanc theoreticam potius physiologicam, pathologicam vero illam possumus significare? Nunc hanc tantum pathologicam hippocraticae et sydenhamianae medicinae rationem accuratius attingo. Uterque medicorum princeps morbum, qualem morbum observatio docet, studiose consectatur. Sydenham ex hoc morborum naturae indolisque studio illud Hippocratis θειον, quod in morborum natura sit insitum, denuo cognovit et respexit. Naturam ipsam eos producere eorumque cursum et decursum dirigere et eos ad finem perducere. Praecipue vero naturae vim inesse, qua morborum efficiat curationem. Quod non ex illo egregio solum loco ad naturae vim medicatricem pertinente dilucide apparet, sed ex aliis quoque locis, qui in opusculis sunt disperse inveniendi. Incidi tamen jamjam in alterum, quod explicare mihi proposui. Eo enim quod Sydenham animos medicorum ad ipsam morborum naturam exquirendam adduxerit, haud parum meritus est de medicina, idque ad alteram spectat quaestionem de incrementis, quae Sydenham arti medicae attulerit.

Caput quintum.

Sydenhami in singulas medicinae partes merita.

Qualia fuerint incrementa, quae medicina Sydenhamo retulit accepta, alterum est, ad quod explicandum nunc aggredior. Quamquam mihi non proposui, fusius omnes Sydenhami sententias de medicina referre, quod, cum D. Jahn nuper magno cum ingenii acumine tractaverit, vana esset opera, tamen occasionem, quae mihi in explicandis Sydenhami in singulas medicinae partes meritis est praebita, simul de peculiaribus ejus sententiis obiter disputandi, non praetermitto.

I. Sydenham morborum descriptionem magis naturae adaptavit.

Primum, quo magnopere meritus est de medicina, ad descriptionem morborum pertinet. Maxima industria ad id enisus est, ut habeatur descriptio „sive historia morborum, quae sit naturalis et graphica. Cujus utilitatem ad praxin asseverat ipse omnem aestimationem excedere, ac prae ea sub-

tiles disquisitiones et argutiolas, quibus neotericorum libri ad nauseam fere inferciantur, nullo in numero esse habendas. Solam enim morborum descriptionem accuratam indicare posse veram medendi methodum. Enimvero medicina, ad quam ipse accessit, accuratiori morborum historia fere fuit destituta, quia plerique eos pro confusis inconditisque naturae male se tuentis et de statu suo dejectae effectis tantum habebant ac proinde laterem lavare is credebatur, qui justam eorundem enarrationem moliretur. Jamjam supra, qui fuerit medicinae eo tempore status, cognovimus, quo, qui eam sunt professi, aut philosophicarum idearum acumine aut chemicae analyseos diligentia aut denique mathematicae rationis subtilitate flagrarent. Quanto tunc inanes in scholis medicis hypotheses plus valerent, quam sincerum naturae studium excellentisque alicujus viri auctoritati plus ponderis tribueretur, quam perspicuo naturae nutui, Sydenhami ingenium latere nequivit. Spretis omnibus, quae eo tempore vigebant, speculationibus, constituit hoc unum curare ut naturam attento animo observaret et, quid ea tum de morborum natura, tum de illorum curatione doceret, diligenter notaret atque agendi methodum ad ea, quae constanter observasset, dirigeret. Insigni modo Sydenham operibus suis docuit, quid sit morborum historia, quid cognitio, quid curatio! —

Momenta, quae in vera et genuina morborum historia respicienda sunt, Sydenham ipse statuit eaque auctori propria sunt. Quibus respectis fieri posse contendit, ut historia morborum perfecta et absoluta promoveat medicam ipsam artem. Cujus indagationi si aliquantisper immoremur, opera, ut opinor, vix nos poenitebit, quum eo auctorem melius cognoscamus. Tres vero potissimum res commemorandae sunt.

Primum Sydenham morborum species definitas atque certas ponendas esse statuit. Audiamus ejus sententiam: humores (Obs. med. praefat. pag. 12), qui vel mora diuturniore vel aëris constitutione vel contagio aliquo sunt affecti et depravati, in formam substantialem seu speciem exaltantur, quae his aliisque affectibus cum propria essentia convenientibus se prodit. Symptomata, quae neque a natura partis, neque ab ea humoris ipsius, antequam hanc induerat speciem, oriuntur, sed revera affectus sunt, ab essentia dictae speciei in hunc gradum recens evectae pendentes; adeo ut quilibet morbus specificus affectio sit ab aliqua exaltatione vel specificatione succi cujusdam in corpore animato ortum ducens. Et profecto haud minus natura methodo se adstringit, in morbis tum producendis, tum maturandis, quam in plantis sive etiam animalibus. „Quin imo ut cuilibet sive plantae sive animali proprii quidam ac peculiares affectus competunt, ita se res habet in qualibet succi cujuscunque exaltatione, ubi semel in speciem proruperit. Exemplum hujus rei satis luculentum quotidie nobis ingerunt et ob oculos ponunt variae istae excrescentiarum species, quas arbores fruticesque emittunt, vel ob succi nutritii perversionem et depravationem vel alias ob causas, in forma scilicet musci, visci, fungorum aliorumque id genus, quae omnia essentiae sunt sive species, a parente seu arbore seu frutice diversae plane atque distinctae.“ Qui e. c. febris quartanae symptomata pensiculatius trutinaverit, haud minus firmis rationibus inducetur, ut credat, morbum hunc speciem esse, quam

sunt illae, ob quas credit plantam esse speciem, quae parem semper ad normam e terra nascitur, floret interitque, atque in reliquis afficitur pro ratione essentiae suae; neque facile comprehendi potest, qui fiat, ut hic morbus oriatur a combinatione sive principiorum sive qualitatum evidentium, cum planta substantia ac species distincta in rerum natura ubique agnoscatur. Illud interim non diffitemur, quod cum species sive animalium sive plantarum singulae per se subsistant, istae morborum species ab iis dependant humoribus, a quibus generentur.

Morborum vero species Sydenham ea diligentia ac *ακειβεια* ponendas esse vult, qua id factum videamus a botanicis scriptoribus in suis phytologiis. Cum in determinandis morborum speciebus non naturam sequamur, optimam semper ducem, sed conjectandi libidini indulgeamus, tot nobis esse eorum species, quot comminisci placuerit: nos eam interim arrogare nobis licentiam, quam nemo facile botanico concesserit, a quo in describenda plantarum historia sensuum requiramus testimonium ac fidem, non rationis commentationem, quantumlibet ista polleat atque alias longe excellat (Observ. medic. I, 2, 31). Etenim revera, ubi distributio in species reperiatur, id fieri plerumque, ut hypothesi alicui, quae veris phaenomenis superstruatur, suus reservetur honos, ac proinde ejusmodi discriminationem non tam ad morbi, quam ad auctoris ingenium philosophandique theoriam accommodatam esse. Quoniam vero unaquaeque morborum non minus, quam animalium aut vegetabilium species, affectiones sibi proprias, perpetuas ac pariter univocas, ab essentia sua promanantes sortita sit, omnino necesse esse, ut abdita cujusque morbi penetralia perscrutemur eumque post irregularium symptomatum vela latentem eruamus; tum morbum specie se mox esse proditurum et ad illam, ad quam attinet familiam haud difficulter posse relegari. Quamlibet igitur exempli gratia febres in universum omnes quaedam habeant symptomata omnibus communia, esse tamen certas aliquas distinctionis notas, quas singulis earum speciebus sigillatim impresserit natura; quae cum subtiliores sint ac magis reconditae, non nisi a cautissimis et minutissima quaeque pensiculatim trutinantibus erui solere aut investigari.

Haec Sydenhami expositio tanti mihi momenti esse videtur, ut audere potuerim, haec verbotenus fere ex praefatione Observ. medic. referre. Audiamus vero etiam Jahnum hanc partem Sydenhami doctrinae reddentem: „*Wie sich die Krankheiten der Pflanzenwelt bekanntermaassen in deutlichen After- und Schmarotzerorganisationen aussprechen und solche Organisationen Schwämme, Moose, Misteln u. s. w. darstellen, ebenso stellt die Krankheit beim Menschen einen niederen, halbselbstständigen, in das ursprüngliche Leben fötusartig und schmarotzerhaft eingeschlossenen Lebensprocess und Afterorganismus dar; sie erscheint als eine eigene Lebensform, als ein substantiales Lebenswesen* (species, forma substantialis; humores exaltantur, erumpunt in speciem), *das jedoch natürlicher Weise eine weit geringere Selbstständigkeit hat, als Pflanzen und Thiere, und nur eine eigene Sphäre desjenigen individuellen Lebensprozesses ausmacht, in welchen es sich eindrängt* (Jahn, Sydenh. pag. 56)." Quamquam haud ignoro, hanc argumentandi interpretandique rationem, quam ex Jahni ore de-

sumsi, pro rata haberi, tamen non possum non eam paululum impugnare. Mihi quidem videtur Jahn in istis Sydenhami verbis nimium invenisse. Quum illum locum, quo Sydenham de speciebus morborum constituendis disserit, diligenter et accurate circumspiciamus, apparet, Sydenhamum plantas quidem et morbos comparasse, tertium vero comparationis id intellexisse, quod et hi et illae habendae sint species, quarum indoles sit sibi propria. Quem ad modum vero plantarum species diligentia permagna a botanicis determinentur, ita etiam determinationem morborum specierum illa botanicorum subtilitate indigere, praesertim quum medicinae obfuerit *ακριβειας* hac in parte defectus. Quod autem pertinet ad excrescentias plantarum parasiticas, quas ibi commemorat, eum ego quidem puto nihil aliud demonstrare voluisse, quam: aeque morbos ab humoribus, in quibus primum exorti sint, prorsus differre (quia videlicet illi facti fuerint species propriae), ac illas plantarum excrescentias a parente planta esse diversas (quia eae singulares existant essentiae). Neutiquam ex Sydenhami verbis concludere possum, eum morbum ipsum habuisse parasiticum organismum, qualem Jahn intelligit „*den in das ursprüngliche Leben fötusartig und schmarotzerhaft eingeschlossenen Lebensprocess und Afterorganismus.*“ Comparat quidem Sydenham morbos et plantas, et utriusque decursum dicit esse ad normam quandam directam, sed de propria morborum vita parasitica mihi quidem non videtur dicere. Multum potius Sydenhami, si ad ejus aetatem galenicis dogmatibus obsequentem respicimus, interfuit, ut omnibus persuaderet de quadam morborum essentia, quam dicit speciem. Quo pacto antiquam theoriam Galeni prosternere studuit, ex qua qualitates eorumque combinationes humores vitient eosque morbosos efficient, sic ut morbus ipse in nullo alio, nisi in humorum depravatione consistat. At contra morbum speciem sumit ab humoribus prorsus diversam esse. Hoc ex illo praecipue loco elucere mihi videtur, quo disserit de specificis medicamentis, quae morbi species possint destruere. „Methodo hac, ait (Observ. medic. praefat. pag. 15), qua diversae tantum qualitates introducuntur, morbi specifici non magis perdomantur, quam ignis gladio exstinguitur. Quid enim, obsecro, calor, frigus, humidum siccumve aut e secundis qualitatibus, quae ab his pendent, alia aliqua ad morbi curationem faciet, cujus essentia in harum nulla consistit?“ Ulterius tamen Sydenham non progressus est, quod sequentia verba testantur (Observ. medic. II, 2, pag. 88): „Caeterum quod ad morbi essentiam spectat, eam enucleate definire in me non succipio. Nec fortasse hominibus cordatioribus rem minus importunam ille facere videbitur, qui a me postulaverit, quid hanc aut illam aegritudinis speciem constituat, quam ego etiam facerem, si ab illo idem de equo v. c. inter animalia, vel de botanica inter stirpes vicissim sciscitarer. Nimirum certissimis ubique legibus ac artificio sibi soli intellecto rerum omnium generationes natura parens exsequitur; quaeque uspiam e causarum gremio in actum ac quasi in lucem educit, eorum essentias, quidditates ac differentias constitutivas altissimis tenebris obvelat.“

Porro exactam phaenomenorum morborum naturalium observationem fundamentum esse firmissimum quum in describenda eorum historia vera, tum in determinandis curationibus genuinis, Sydenhami opera ipsa docent mani-

feste. Quid? Naturae ordinem in producendis maturandisque morbis, ex quo in diversis corporibus eademque plerumque reperiantur ejusdem morbi symptomata, is poterat negligere, qui naturam praxeos ducem esse et docuerit et praebuerit ipse? Itaque ad morborum diagnosin eum noster censuit demum instructissimum accedere, qui observatione assidua et diligenti eorum phaenomena perscrutatus sit. Eum enim tantum, qui certa et distincta peculiarium symptomatum perceptione maxime polleat, quae non ex copiosa *ὑποϑεσεων* officina, sed ex accurato naturae morborum studio prodeant, species etiam morborum proprias statim valere distinguere. Praecipue vero peculiaria et perpetua phaenomena distinguenda esse ab accidentalibus et adventitiis, qualia non tantum ex aegrotantium temperie et aetate, sed etiam ex ratione medendi diversa varie se habeant. Nisi adhibeatur cautela in symptomatibus et morbi et curae discernendis, fieri, ut admodum vagum et incertum sit circa morbum judicium.

Denique eo Sydenham magnam vim in historiam morborum excolendam exercuit, quod anni tempestates in diagnosi morborum et curatione quam maxime respiciendas esse voluit. Morborum observationem docere, censet, quosdam nec pauciores morbos occulto quodam naturae instinctu annorum tempora non secus sequi, quam quasdam aves aut plantas. Saepe etiam miratur, hoc morborum quorundam ingenium satis obvium a paucis tamen fuisse hactenus observatum, quum „quo sidere stirpes aut pecudes solemniter procreentur, plurimi curiosius adnotarint.“ Etenim quis est, qui dubitet, tempestatum, quae cuivis morborum generi potissimum faveant, notitiam permultum medico prodesse, tam ad speciem morbi dignoscendam, quam ad ipsum morbum exstirpandum? Ex ipsis autoris observationibus et iis quidem de genio morborum epidemicorum invenies, quantopere coeli aërisque habuerit rationem, ut artem, quam est professus, redderet maxime salutarem.

II. Sydenham therapiam ad naturae leges revocavit.

Ad therapiam nunc eo libentius accedo, quo Sydenham in hac recte instituenda atque ad naturam adaptanda et medicinae permagnum incrementum et sibi ipsi summam conciliaverit gloriam. Egregia illa verba hic repetere nolo, quae praxeos fundamenta ad oculos ponunt. In eo summum principium therapiae consistere statuit, ut deficienti naturae succurrendum, effrenis ea coërcenda et in ordinem redigenda sit. „Sola natura *τας νοσους κρινει και εξαρκεει τα παντα πασι.*“ Itaque quum ad naturae inprimis ingenium tota medici ars accommodanda sit, illud etiam longe esse maximum, morborum ipsam indolem eorumque quidem generationem et exitum cognoscere. Quoniam enim naturae ordo non minus in faciendis, quam in producendis morbis sibi ubique aequabilis sit, ut in diversis corporibus eadem plerumque reperiantur ejusdem morbi symptomata, haec ipsa phaenomena, si inter se sedulo conferantur, manu quasi ducere ad indicationes illas maxime obvias, quae ex intimo naturae sensu, non vero e phantasiae erroribus depromantur. Praxi sola vere rationali artem medendi posse ulterius provehi; hanc vero ipsam in eo potissimum cardine verti, ut certa aliqua et consummata undique ac fixa methodus medendi constituatur et ea quidem, quae satis magno ex-

perimentorum numero corroborata subfultaque huic vel illi morbo devincendo suppar inveniatur. Etenim in eo praecipue stare medici gloriam, ut genuinas indicationes expiscari valeat, non ut remedia adhibeat, quibus morborum symptomata expellat. Quantum Sydenhami interfuerit, ad naturae ipsius rationem morborum curationem dirigere, ex illis verbis manifeste apparet, quae in Observationum sectione quarta (cap. 4, pag. 165) legimus: „Semper enim rebar, non sufficere ad comprobandam in acutis medendi rationem, ut feliciter ea cederet, sed requiri adhuc, ut morbus nullo negotio victus quasi suopte genio cedat atque abitum affectet, quantum ejus fert natura.“ Quare Hippocratis dictum: Cocta, non cruda medicanda, ei in morbis curandis permultum valuit.

Quamquam vero methodum saepe laudatam, qua natura se a morbis liberare solet, caute solliciteque observemus oportet, quo commotionem obortam acceleremus atque ita aegros ad sanitatem perducamus, tamen ab alio quoque curationis genere idem atque adeo plus etiam sperandum esse Sydenham censet, quo morborum cursum non solum inhibere, sed etiam omnino abrumpere noverimus: dandam esse operam, ut in ipsam essentialem morbi naturam penetrando specificis remediis ei obviam eatur. Specificorum, si quae talia inveniri possint, beneficio aegrum rectiori semita ad sanitatem profecturum esse atque eum, quod majoris etiam momenti sit, extra aleam malorum, quae sequantur aberrationes istas, in quas saepe invita dilabatur natura, posse collocari. Praecipue in morbis chronicis sanandis quum illa medendi ratio secundum naturam saepius deficiat, specifica remedia medicinae summum incrementum allatura esse. „In vincendo itaque morbo chronico, pergit, is demum jure meritoque medici nomen sibi vindicat, penes quem est ejusmodi medicamentum, quo morbi species possit destrui.“ (Observ. med. praef. pag. 15.) Quanti Sydenham remediorum specificorum inventionem aestimet, ex eo conspicitur, quod eam ad duo in arte medica desiderata (veram scilicet morborum historiam et certam medendi methodum) accedere dicit. Non quodque tamen remedium, quod vulgo specificum audiat, revera specificum esse. „Si quis, ait (de Podagr. pag. 424), objiciat, multa esse remedia specifica ad podagram, ego me ea nescire lubens fateor et vereor, ne promissores isti perinde sint ignari ac sum ego.“ Mercurium e. g. et Sarsae radices pro specificis propriis atque immediatis non debere haberi, nisi argumentis satis validis possit confici, has sine motis sudoribus, illum vero nulla excitata salivatione tam egregiam operam praestitisse. Toto enim coelo differre ea remedia, quae huic aliive indicationi curativae specifice respondeant, et quae hunc aliumve morbum specifice atque immediate persanent. Remedium aliquod, quod evacuationes quasdam eoque curationem morbi efficiat, non magis proprie competere immediatae curationi, quam scalpellum phlebotomum pleuritidi. Unicum tantum specificum adhuc existere, corticem peruvianum, cujus beneficium in genus humanum summum sit. Hujus corticis felicissimum usum sepeliisse dogmaticorum theorias. Per multa jam saecula homines quosque solertissimos se exercuisse in investigandis intermittentium causis, quibus praxin quisque aptaverit theoriae a se excogitatae optime respondentem. Quae vero ejusdem corticis vis qualisque sit, cuique homini aeque incognitum esse, ac ra-

tionem, ex qua gramen omne viridi ubicunque colore, nusquam alio cernatur infectum. Equidem puto hoc Sydenhami judicium de specificorum viribus pergrave esse. Hic enim Hippocratis, quae constanter adhuc secutus est, vestigia prorsus reliquit aliamque ingressus est viam, quam etiam nostrae aetatis medicina, non despiciens naturae medicatrices vires, magno cum successu insequitur. Quare non dubito, verba illa egregia hic referre, quae totum Sydenhami, quale fuerit ingenium, prodere mihi videntur: „Specifica proinde remedia, si ad hanc mentem nostram restringantur, non cuique homini contingunt, neque oscitantibus temere se ingerunt: nullus tamen dubito, quin in exundanti illa plenitudine, qua turget natura diffluitque, ita jubente optimo maxime rerum omnium conditore, in singulorum praeservationem prospectum pariter sit de curatione malorum magis insignium, quae homines vexant; idque pro foribus et in patrio cujusque solo. Et sane dolendum est, plantarum naturam nondum magis explorato nobis innotescere; quae mihi videntur reliquae omni, qua patet, materiae medicae palmam praeripere et quae inveniendorum remediorum uberrimam nobis spem faciunt. Me quod spectat, non hic aliud mihi sumo praeter laborem ac taedium, haec atque hujusmodi diu multumque jam per aliquot annos animo versandi, necdum mihi tam feliciter cessit, ut cum prudenti fiducia, quae de iis cogitaverim, in publicum dare ausim“ (Observ. med. praef. pag. 15).

Quantumvis bene Sydenham medicamentorum vires cognoverit et aestimaverit, magnificam eorum pompam pro nihilo putat. Itaque queritur, materiam medicam in sylvam tam immensam, sed fructu perexiguo, excrevisse. Artis enim medicae dignitatem non tam in formularum concinnitate et elegantia, quam in morborum curatione cerni. „In quantum scilicet medicus sum, non vero formularum medicarum praescriptor, quas ego duas sive artes sive dotes sive etiam provincias appellare libeat, toto coelo a se invicem distare arbitror.“ Ubique in Sydenhami opusculis quam maxime simplicia tantum et naturalia remedia invenies. Regulam: quo simplicius, eo melius, optime ubique observat. Neque opinandum esse censet, remediorum artificialem praeparationem eamque chemicam eadem efficere posse meliora magisque potentia; vires potius eorum a natura ipsa iis esse insitas; has mutari et augeri nequire. Sin vero interdum major remediorum numerus conjungatur oporteat, simplicia tantum ad mixturam singula adhiberi debere. Quum id habeamus propositi, ut huic illive indicationi satisfaciendo aegrum sanemus, singula ingredientia symbolam pro morbo curando quasi conferre; atque in hoc casu quanto major sit simplicium numerus, tanto potentius mixturam operari. Si electuarii quidem forma adhibeatur, mutuam simplicium confermentationem omnium virtutem adaugere; quasi aliquod tertium progignere, quod in ita conjunctis majorum sit virium in pari quantitate, quam in eodem quolibet. Hoc modo remedium antipodagricum, „tironum gratia“ composuit, et id quidem non minus plantarum singularum in se continet, quam triginta. „Verum tamen, pergit tam delectum ejusmodi ingredientium, quam formulas, quibus exhibenda sunt, prudenti medico lubens relinquo; cum nunquam mei officii esse duxerim, receptaculas, ut vocant, conscribere, at veras indicationes notare, ad quas curationes sunt dirigendae; quod cum minus ob-

servetur, ex hinc empiricis ansa data est, ut se artis medicae principes jactent.“

Summa omnino Sydenhami remedia, ut nonnulla referam, sunt: Venaesectio, cujus indicationes constituit accurate, Emeticum, Laxantia et ea quidem libentissime sub forma clysmatum, Opium, de cujus magnificis viribus perbene (Observ. med. IV, 3, pag. 157) disserit, Ferrum et Aquae quidem chalybeatae, Mercurius, Cortex peruvianus, Acida mineralia, Castoreum, alia remedia praestantissima. Usus vero Alexipharmacorum, Sudoriferorum et Cardiacorum, quorum mixturae maxime compositae tunc in medicina permultum valebant, Sydenhamo valde est odiosus, et ipse morborum quam vocant malignitatem his praecipue medicamentis tribuit. Quum aliorum remediorum successu saepius frustratus esset, ad alia remedia confugit, haud ita celebria, immo ob tritum eorum usum plane contemta, tamen ea adhibet nec sine successu felici; sic contra debilitatem permagnam, quae febrem continuam a Sydenhamo in Observ. descriptam saepe secuta est, balneum quoddam animale adhibet, nempe adolescentulorum vivum vegetumque calorem aegris applicat. Quorum remediorum causa inusitatorum, sed praestantium vehementem collegarum vituperationem perpessus est. Tamen „ego, ait, proximi mei commodum ac salutem vanis illorum opinionibus longe anteferendum censeo.“

Adest etiam aliud, quo Sydenham optime de therapia meritus est: hoc attinet ad diaeteticam. Non in acutis solum morbis eam semper accurate constituit, sic ut hujus gravissimae artis observatio haud exiguam symbolam ipsi videretur conferre ad eorum curationem, sed praecipue in chronicis morbis rerum non naturalium rationem, aëris scilicet, cibi et potus, exercitii et quietis, somni et vigiliae, inanitionis et repletionis, et animi denique passionum habendam esse censet quam maximam, quoniam chronicorum morborum curatio medicamentis solis nequaquam absolvatur. Semper distincte ordinat, quos cibos e. g. aeger quisque, quos potus vitare, quosque debeat sumere. Itaque accurate constituit, utrum aegrum lecti calorem quaerere, an fugere oporteat. Omnia omnino, quae vitae rationem continent, tam clare et tam acute respexit, ut etiam in hac re eum cum Hippocrate, diaeteticae fundatore, comparemus.

III. Sydenham genium epidemicum accuratius constituit.

Tertium denique incrementum, quod Sydenham medicinae attulisse mihi videtur, attinet ad accuratam observationem morborum epidemiorum. (Conf. inprimis Observ. medic. I, 2, pag. 23 etc. et Tractat. de podag. pag. 403 etc.)

Cuique historiam medicinae studiose consectanti mira videtur esse illa scriptorum in describendis morbis epidemiis explicatio, qua Thucydidem e. c. insignem esse cernimus. Attamen ad quaestiones de natura horum morborum non magnopere, si Hippocratis divinationes excipias, spectaverant. Sydenham primus fuit, qui in morborum epidemiorum indolis atque naturae studio versatus sit sagacitate ea eximia, cujus Observationes medicae argumentum praebent maxime egregium. Qui quum Hippocratem tantum secutus sit ducem, cujus „divina senis magna illa theoria esset nihil aliud, quam

exquisita naturae descriptio,“ naturam sequens, ingeniose morborum genium, quem nunc vocamus, epidemiorum primum comprehendit. Equidem operae esse opinor, quid de his morbis in universum cogitaverit, breviter exponere. Eum ipsum dicentem induco.

Morborum epidemiorum facies est discolor suique plane dissimilis. Quos re ipsa alienae admodum esse indolis totoque coelo differre, ex eo elucet, quod propria esse ac sibi peculiaria morbi cujusque epidemii symptomata cognoscas, inprimis vero, quod medendi rationem hi ab illis disparem prorsus sibi vindicent. Causae hujus tantae epidemiorum vicissitudinis non in manifestis aëris qualitatibus constant, quibus quis eos promoveri prima specie sentiat. Quamquam enim fatendum est, non minus diversas aëris qualitates, ut atmosphaerae calorem, frigus, siccitatem, humorem, alia, quam errores ad sex res non naturales spectantes corpora ad hujus illiusve morbi epidemii generationem magis minusve disponere, tamen saepissime animadvertimus, annos, quoad manifestam aëris temperiem, sibi plane consentientes, dispari admodum morborum agmine infestari et vice versa. Etenim res ita se habet. Variae sunt annorum constitutiones, quae ab occulta et inexplicabili quadam alteratione sive interiorum ipsorum terrae viscerum, quod proxime ad verum accedat, sive conjunctionis corporum coelestium quorumlibet pendent, unde aër per aliquot tempus ejusmodi effluviis contaminatur, quae humani corporis oeconomiae adversantur, idemque huic aut illi morbo addicunt determinantque. Eodem modo interdum aër effluviis impraegnatur, quae cum corporibus speciei alicujus brutorum minus conveniunt. Quibus temporibus quoties nos hujusmodi noxia et naturae inimica miasmata in nudum sanguinem inspiratione attrahimus et in quosdam morbos incidimus, natura febrem accersit, solemnem nempe sibi machinam ad sanguinem a materia hostili et contraria intus stabulante vindicandum. Et tales morbi epidemii vulgo audiunt et ideo acuti sunt et breves, quia motum habent celerem ac violentum. Unicuique harum constitutionum generalium est propria ac peculiaris sibi febris species, quae extra arcanam illam aëris constitutionem nusquam apparet: cujusmodi febres idcirco stationariae dicuntur.

Ab hoc stationariarum febrium genere altera febrium species prorsus differt, quae omnibus in universum annis competunt (quas ideo intercurrentes vocamus) et ab hoc illove manifesto aëris temperamento ortum ducunt, v. g. pleuritis, angina et reliquae ejusdem farinae, quae a refrigeratione plerumque invadunt.

Alii epidemiorum regulariter eodemque modo se habent, ex quo symptomata in plerisque fere omnibus, quos adoriuntur, maximam congruentiam exhibeant. Alii perquam anomali nulli typo se adstringunt, tam quoad symptomata quam medendi methodum, malignique sunt moris. Tertii vero epidemiorum generis character tam irregularis est, ut ex luxuriante quodam naturae lusu anomalia typi ad tempora usque initii, status et declinationis pertineat.

Epidemii dividuntur in duos ordines, quorum diversitas magna est: epidemii verni et autumnales. Quod ad vernos spectat, alii mense Januarii se ingerunt, circa aequinoctium vernale ad statum, ad finem vero circa solsti-

tium aestivum perveniunt, in quorum numero sunt morbilli et febres tertianae vernales, licet Februario demum emergant: alios vero vere ortos et per totam aestatem perdurantes brumale tandem frigus fugat, ut variolae, pestis. Ex epidemiorum autumnalium familia alii ultra unius mensis spatium non egrediuntur, ut cholera morbus, qui intra Augusti cancellos conclusus est. Alii morbi aestate prognati usque ad hyemem excurrunt, ut dysenteria, febres quartanae et tertianae autumnales.

Mirum est, quod maxima continuarum febrium pars non ex constitutione singula, quatenus horum morborum alterutri producendo faveat, sed ex insigni aliqua sanguinis alteratione vel ex evidentiori symptomate nominetur, ut putridae, petechiales, aliae id genus febres. Intermittentes vero, quae nomina ab intervallo paroxysmis interjecto et ab anni tempestatibus sibi desumunt, hoc modo satis discriminantur, licet earum nonnullae initii tempore continuis febribus magis similes, non statim genuinum induant typum.

Quum plures epidemii morbi eundem annum fatigant, unus eorum aliquis reliquorum praedominio potitur, et is quidem morbus, qui circa aequinoctium autumnale maximopere grassatur, totius anni constitutioni nomen impertit suum; ejus ingenio epidemii, quotquot sunt *συγχρονοι*, se accommodant, in quantum eorum fert natura; v. g. quum variolae eo tempore latissime depopulentur, febris toto anno sparsim oberrans ejusdem plane inflammationis est particeps, quae variolas parit. Quum ille epidemiorum princeps ingruente hyemis frigore evanescit, epidemii inferioris ordinis ingravescunt, donec dictus anni princeps eorum vires denuo frangat deleatque nomen.

Quotcunque vero sunt species particulares in una constitutione invadentes, in communi una atque generali causa, singularum productrice, omnes conveniunt, hac scilicet aut alia aëris diathesi peculiari; constitutio aliqua generalis variis speciebus epidemiorum communis eorum materiam ita effingit et format, ut, licet ab invicem, quoad typum et formam specificam, distent, praecipua tamen symptomata omnibus paria habeant et, quoad tempus invasionis, saevitiae et remissionis, consimiles sint. Verum enim vero, ut epidemii morbi generalem suam originem neque causae ulli morbificae in humano corpore aggestae neque peculiari sanguinis humorum crasi debent, etiamsi occulta ista aëris influentia corpori eandem impresserit, sic aëris qualitates manifestae, de quibus initio dictum est, eam tantum in epidemiis habent potestatem, ut eos sive promoveant sive quadamtenus retardent, prout illis adversentur vel faveant, constitutionem vero ipsam universalem nequeant mutare. Unde etiam est, quod, quum varii epidemii in eandem incidant constitutionem, hic aut ille morbus ea potissimum tempestate se exserat, ad quam sensibiles aëris qualitates eundem destinaverint, atque alteri demum epidemio locum cedat, quem diversae subsequentis temporis qualitates advocaverint.

Constitutio generalis quaecunque, quae huic alterive morbo epidemio producendo favet, aeque ac epidemiorum quilibet in subjecto particulari, suo ordine suas habet periodos augmenti, status et declinationis. In dies enim magis magisque epidemie grassatur, donec acmen attigerit suam, atque exinde iisdem fere gradibus decrescit, donec tandem penitus exoleverit, alteri con-

stitutioni locum cedens. Quamquam ad aegrorum numerum si respexeris, sub initio malum pauciores afficit et in statu demum in dies latius serpit, tamen symptomatum quod attinet vehementiam, ubi primum se ostendit, sunt atrocissima omnia; in constitutionis catastrophe benigna sunt atque ευφορητα. Itaque primis mensibus, quibus grassabatur pestis, nullo fere non die ejus contagio afflati, dum in triviis versarentur, inopinanter exstincti sunt, nihil prorsus mali praesentientes; quum ubi morbus magis adoleverit, neminem nisi febre atque aliis symptomatis praecedentibus umquam prostravit. Etenim omnes epidemii, ubi primum e naturae sinu emergunt, principio magis spirituoso ac subtili videntur inhaerere, quam ubi jam magis adoleverint, et quo magis ad occasum vergunt, eo magis in dies crassi atque humorales fiunt. Verisimile est, inimicas istas particulas, quas aëri intime permixtas constitutionem epidemicam formare opinandum est, per ea inprimis tempora permagna agendi potentia pollere, quibus primum eruperint, ex quo morbus in ipsis incunabulis magis acutus sit atque efferatus.

Hoc certum est, quod sicut alii morbi jam olim exstiterunt, qui vel jam occiderunt penitus vel aetatem saltem pene confecti exoleverunt, et rarissime comparent (cujusmodi est lepra), ita, qui nunc regnant, morbi aliquando demum intercident, novis cedentes speciebus, quas, quales sint, ne minimum quidem auspicari valemus.

Verum enim vero quando asserimus epidemiorum alterum ab altero, ut clavum a clavo pelli, non statim dicimus eum, qui pellatur ac cedat, morbum in solidum evanescere, at vero rarius invadere. Durante igitur una constitutione uterque morbus reperitur, eo autem modo, ut alter jam ad finem accedat unumque fortasse aut alium, licet raro admodum, incessat.

Quemadmodum febres stationariae magis minusve infestant, quod jam diximus, prout annorum constitutio in secreta atque inexplicabili aëris temperie fundata eisdem favet, ita etiam intercurrentes nonnunquam, licet non ita frequenter, atque istae, epidemie grassantur. Quamvis enim plerumque, ut supra explicuimus, oriantur ab hac vel illa particulari partium particularium anomalia, qua sanguis atque humores quoquomodo vitiantur, tamen originem suum debent mediate quidem generali alicui causae, aëris scilicet cuidam manifestae qualitati, quae hominum corpora sic disponit, ut exinde tales talesve sanguinis atque humorum dyscrasiae generentur, quae intercurrentium ejusmodi epidemiarum causae fuerint immediatae. Uti cum gelu acrius diu perseveraverit, se in ver usque longius extendens, derepente autem calidior tempestas succedat, pleuritides, anginae similesque morbi alii solent invadere, qualescunque demum fuerit constitutio annorum generalis. Magni est momenti, quod hi affectus essentiales, quae intercurrentes febres dictae sunt, ab iis distingui debeant, qui per accidens febribus stationariis supervenientes, illis, quoad phaenomena plane similes quidem eodemque etiam nomine sint insigniti, harum vero nuda tantum sint symptomata (Observ. medic. VI, 1, pag. 223).

Difficultas regulas generales morbis epidemiis debellandis accommodandi haud occulta est. Quando novae febres incipiunt grassari, medici esse dicit Sydenham, cunctari paulisper et ad fortiora praesertim remedia non nisi

suspenso pede ac tardius procedere, diligenter interim illarum ingenium atque morem observare, ex quo curationis fundamenta, indicationes, constituantur.

Itaque Sydenham epidemios morbos annorum quindecim (ab anno 1661 ad annum usque 1676) eo modo observavit et descripsit, ad quem assequendum fortasse unius, ut dicit aliquando ipse, medici aetas non suffecerit. Finem vero altum, cui tantum studium tantumqne laborem tribuit, his verbis et simplicibus et distinctis (Observ. med. I, 2, pag. 39) egregie posuit: „Epidemiorum species omnes juxta phaenomenorum suorum varietatem in classes redigere ac characteres cujusque idiopathicos enucleare, nec non propriam medendi rationem unicuique sigillatim accommodare.“ Et profecto, haud exiguam symbolam contulit ad opus inchoandum, quod, ut divinat, „in maximum humani generis emolumentum cedet, ubi tandem a posteris, quibus integrum epidemiorum curriculum venientibus annis sibi invicem succedentium intueri dabitur, ad umbilicum perducatur.“

THESES.

I.

Mens aegrotare nequit.

II.

Musica praestantissimum in morbis psychicis remedium.

III.

Medici in sedandum morientis animum major vis, quam theologi.

IV.

Pathologia oculi oculus pathologiae.

V.

Omnia corporis systemata in oculo reperimus.

VI.

Dat Galenus opes et Justinianus honores: non verum.
